



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. III. An liceat in praxi sequi Opinionem magis probabilem, sed minùs tutam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

aliquis ob aliquam infirmitatem posset die Veniens comedere carnes; si tamen illa comestio cederet in grave scandalum aliorum, vel contempnum fidei, non erit probabile practice. Uterque modus loquendi est bonus, uterque etiam utilis: accommodabimus nos cuique pro occasione, modo prius argumentans se explicet, quo in sensu hæc verba accipiat.

ARTICULUS III.

An liceat in praxi sequi opinionem magis probabilem, sed minus tutam.

304. **D**ico cum communissima, tum antiquorum, tum recentiorum, contra paucos Belgas, ac Gallos. Licet in praxi sequi sententiam magis probabilem, quamvis sit minus tuta. Prob. 1. In opposita sententia deberet admitti, quod jam a tempore Magistri Sententiarum, per annos ferme sexcentos, erraverint communissime ferme omnes Theologi, qui tradiderunt sententias plurimas, tanquam tutas in praxi, quamvis fuerint minus tuta; quia iudicaverunt ipsas probabiliores: hoc est falsum, ac incredibile, & tale assertum ab adversariis in æternum non potest probari: ergo. Confirm. ex quodam recentiore. Juxta adversarios deberent comburi omnes libri, aut lucubrationes, in quibus continentur decisiones morales, vel juridicæ; nam in his omnibus continentur plures sententiæ, probabiliores quidem, sed simul minus tuta; cum tamen sapientissimi quique, atque etiam sanctissimi viri, semper habuerint hujusmodi Scriptores Theologiæ moralis, magno in pretio, e.g. S. Carolus Borromæus (cujus auctoritatem rigoristæ passim auctoribus benignioribus obtrudunt) in decretis suis provincialibus, valde commendavit Summas Navarri, Toleti: & à toto quasi orbe laudatur *Medulla Casuum* P. Hermannii Bufenbaum, quæ jam anno 1670. fuerat 45. vicibus typis impressa.

305. Equidem Wendrockius ait; se non curare, si contra se producantur decem millia Casuistarum. Sed hoc ejus dictum tam parum nos movet, quam illud Lutheri libro contra Angliæ regem dicentis, se non curare mille Augustinos, mille Cyprianos. Pariter Jansenius in suo *Augustino* lib. proemiali. c. 9. col. 24. sic scribit: *Arbitror, Sacre Scripture libris, Conciliis, & primorum seculorum Patribus, nos contentos esse debere.* (vide La Croix lib. 1. n. 461.) at cur ipse suum librum non perpetuis tenebris sepelivit, ubi sine damno æternum latuisset? Idem refertur dixisse Havermannus apud La Croix loc. modo cit., ac reprobasse lectionem Theologorum moralium, eo ex capite, quod ante editos hosce libros, aut summas, jam confessarii debuerint resolvere casus conscientiarum. Sed nunquid non etiam debuerunt, eos resolvere ante volumina à Patribus edita: quin imò ante editos libros sacros novi testamenti? num & hos negabit legendos?

Elizalde quoque, seu, qui idem est, Cella DEI p. 2. l. 6. q. 15. & 16. fulissime probat, lectionem sacrorum librorum magistro Theolo-

giæ moralis necessariam esse, quod facile concedimus. Sed insuper q. 17. contendit, solam Sacram Scripturam cum traditione, sufficere resolvendis omnibus conscientiarum casibus. Verum hæc, saltem de communi Theologorum moralium ordine, negamus. Et quis, obsecro, ita sibi fidere possit, ut ex sola Sacra Scriptura, vel traditione, eruat omnes leges, præsertim humanas; cum plurimæ semper novæ accedant? Quæ ad jus naturale, vel Divinum spectant, quamvis omittam, quod in Sacris Scripturis, quasi in principiis universalissimis continentur, quis tamen de se tantum audebit confidere, ut speret, solâ Sacrorum Voluminum lectione, omnia illa, tanquam conclusiones ex præmissis, à se eruenda; & præsertim, ut vult Elizalde, rationis longè probabiliore? alias enim semper quis adstringetur ad tutius.

Et quomodo hæc assertio stat cum alia ejusdem authoris apud La Croix lib. 1. num. 93. asserentis, neminem in conscientia posse esse tutum, qui rationes suas, per magnum tomum in folio, allatas, non expendisset? Hæc certe ratione sola Scriptura non sufficit. Sed, quæso, si quis intricatior casus de matrimonio, vel de restitutione, aut contractu, occurrerit, recurrat hic auctor in omnibus casibus ad Sacram Scripturam, & nobis afferat dein responsum: videbimus, an id ita probet, ut contenti esse debeamus. Verum hæc ex occasione sint dicta.

306. Probatur conclusio 2. Ex una parte est difficillimum, & spectata humani intellectus imbecillitate, sapissime impossibile, assequi certam veritatem, circa honestatem actionum: ex alia autem parte, esset onus intolerabile, hominibus cujuslibet conditionis, si in praxi obligarentur omnes sequi, & confessarii, aliique omnes confulti, tenerentur semper respondere tutiora, etiam rigidissima, modo non essent improbabilia; neque est ulla ratio probans obligationem tam duram: ergo nullo modo est admittenda. Et quis vellet supposita tam difficili obligatione esse confessarius? quis administrare officium in republica?

Confirm. 1. Praxis totius orbis Catholici est adversariis contraria; nam & auditores Rota Romanæ, & Theologi, & Jurisconsulti, in suis resolutionibus, amplectuntur probabiliora, etsi minus tuta: quin & sanctissimi viri, etiam S. Thomas tradunt sententias minus tutas, & tamen, quia iudicant probabiliores, asserunt licite adhiberi in praxi: quis autem credat, præter pauculos quosdam, totum reliquum orbem Christianum tam graviter errare? Asserit quidem Vincentius Baronius, Angelicum semper, vel certa, vel tutiora amplecti: sed, nisi velit, ipsam Angelici auctoritatem solam conciliare opinioni certitudinem (quod modestissimus Sanctus ipse non ferret) falsum dicit. Sanè negat S. Doctor, exponendas circumstantias aggravantes in confessione, quæ sententiæ minus tuta est, nec tamen certa: quin Cardenas 3. parte Cris. tr. 1. dissert. 56. cap. 8. num. 474. paratum se, ait, ad texendum catalogum ex eodem S. Doctore plusquam ducentarum hujusmodi opinionum. Et quis dicat, omnes sententias S. Bonaventuræ, aut Scoti, oppositas S. Thomæ sententiis, esse improbabiles? Quod autem hic dictum

de Angelico, idem dici potest de Seraphico, atque Subtili.

Confirm. 2. Ipsi adversarii practicè revocant, quod speculativè docent. Sic Fagnanus in 1. p. *Primi Decret.* in C. *Ne imitatis. de Constitutionibus. n. 206.* & seq. valde invehitur in usum sententiæ probabilis, & plurimis argumentis conatur probare, non esse licitam sententiam minùs tutam, nec certam: at in *Cap. Si quis sanè. de peculio clericorum* ait, sententiam, obligantem clericos ad expendenda bona, in pios usus ex justitia, esse communioem, & tutiorem: tamen oppositam ut verioem, & in praxi tutam propugnat. An igitur sola ejus autoritas reddidit hanc sententiam certam? non credo. Maxime autem sequaces Janseii, qui rigorem ubique præferunt, sententias plures, non tantum non certas, sed certò falsas, sequuntur, & eorum autoritas nullius momenti est.

307. Probant conclusionem alii 3. ex propositione 3. damnata ab Alexandro VIII. quæ sic habet: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*: non autem est sermo de propositione probabilissima, & simul magis tutam, sed de minùs tuta, quam, etiam probabilissimam, sequi illicitum dicebant; nam neque Wendrokus, qui in *nota prima in epistolam quintam Provincialium*, neque Synichius, qui in *Saule exrege lib. 1. cap. 27.* eam propositionem docuerunt, voluerunt, illicitum esse, sequi sententiam probabilissimam, & simul magis tutam: & aliunde certum est, licere talem opinionem sequi, imò etiam sententiam improbabilem, dummodo sit magis tuta: ergo licet sequi sententiam probabiliorem, & minùs tutam; quia etiam probabilissima est aliis probabilior.

Quia tamen reponi potest, ex ea damnatione tantum inferri, quòd liceat sequi sententiam probabiliorem, quando simul est probabilissima, non autem in aliis casibus: quæ licentia esset nimis restricta; hinc probatio ista valeat, quantum potest. Interim tamen ratio adversæ partis, scilicet, quòd opinio probabilior, minùs tuta, in concursu tutioris, quamvis minùs probabilis, non excludat periculum peccandi, per hanc damnationem eversum est. Dein etiam satis constat, quòd, sicut Alexander VII. & Innocentius XI. suis decretis voluerunt restringere nimiam laxitatem, ita Alexander VIII. voluerit prohibere nimium rigorem: & nobis meritò videtur, nimis rigidum esse, si homines semper adstringantur, vel ad omnino tutius, vel ad certum.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

308. **O**B. 1. ex Synichio, Christus Joannis 14. v. 6. dicit. *Ego sum veritas*: non dicit: *Ego sum probabilitas*: ergo non licet sequi probabilitatem. Confirm. 1. Idem Dominus dicit: *Matth. 7. v. 14. Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam*: sed porta probabilitatis est valde laxa: ergo non ducit ad vitam. Confirm. 2. Probabilissimus est Academicismus: sed hic est fons omnis

flagitii ex S. Aug. lib. 3. contra Academicos. c. 16. ergo & ille: adeoque est illicitum, eum sequi. Resp. retorqueo argumentum. Christus neque dicit: *Ego sum moralis, vel etiam physica certitudo, neque conscientia invincibiliter errans, aut ignorantia invincibilis*: sed absolute dicit: *Ego sum veritas*: ergo neque istas licet sequi. Videant adversarii, quo se, aliisque abducant zelo, non secundum scientiam. Nec malè argumentum retorquet Banholzer in *ethice Christiana n. 44.* Christus dicit: *Ego sum panis*, & non dicit: *Ego sum placenta*: ergo non licet comedere placentas. In forma. neg. conf. cum enim veritatem semper assequi sit impossibile, Christus Dominus contentus est, si saltem sequamur id, quod majorem præferet verisimilitudinem.

309. Ad 1. confirm. neg. min. si præsertim intelligatur porta majoris probabilitatis: nam inprimis multæ leges Christianæ Religionis, e. g. circa dilectionem inimicorum, castitatem ac justitiam, quæ certæ sunt, satis adstringunt introitum in cælum. Sanè *Ador. 24. v. 23.* disputante S. Paulo de justitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus est prætor Felix, nec tamen illi gentili, nisi certa proposuerit Doctor Gentium. Si addamus, quòd nunquam licitum sit, se eximere lege, nisi probabilius sit, eam non dari, (quod pro nunc his adversariis permittimus) januam cœli satis arctamus; non enim debemus eam tam arctam facere, quam faciunt adversarii; nam semper debere, facere aut tutiora, aut certa, videtur esse supra conditionem humanam; ferè, sicut lex, faciendi semper optima, esset pessima; quia foret perpetua causa peccatorum. Ad secundam confirm. neg. ma. Aliud longè est probabilitas Theologica, tam absolute, quam comparative talis: aliud probabilitas illa Academica. vide dicta num. 295. & seq.

310. Ob. 2. *Proverb. 14. v. 12.* dicitur: *Es via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*: ergo non est sequenda via probabilitatis, etiam majoris. Confirm. Homines ut plurimum discordant à regula moralitatis, seu principiis moralibus, potius per defectum, quam per excessum: sic videmus, ordinariè hæreticos laxare viam salutis, contra SS. Patres eam stringere: ergo & nos debemus eam potius stringere, quam laxare. Resp. Argumentum est simile huic: *Aliquod animal est rugibile; ergo etiam Petrus*. S. Scripturæ ibi est sermo de via voluptatis, & ambitionis, quæ hominibus carnalibus videtur justa, seu comoda, sed ducit ad mortem: at non ita via majoris probabilitatis. Ad confirm. Semper habendum præ oculis illud: *Ne quid nimis*. Sanè homines faciliùs deficiunt à moralibus principiis in executione, quam cognitione juxta illud Poëtæ: *Video meliora, probòque, deteriora sequor*: & quamvis etiam deficiant aliquando in cognitione, non ideo debemus, probabilitatem majorem respuere, & ubique quærere certitudinem; cum hæc acquiri sæpiùs nequeat, neque tutum sit, omnes ad tutiora adstringere.

311. Quod attinet ad hæreticos, inprimis non rectè ducitur ab iis argumentum; nec enim debemus in omnibus prorsus esse ipsis contrarii: sufficit contradicere eorum erroribus.